29C

Nobilissime et Consultissime Vir

Occupati adhuc sumus in penitus exstirpanda febri illa, quae jam tres septimanas filium tuum charissimum non sine dolore meo tenuit, et à quo aegrè divelli posse videtur. Medicus noster Dn. Nuyssenburgh cum praeterita septimana sexto et ultimò nobis aderat, accuratam victus rationem injungebat, additis uvis Corinthiacis conditis, quibus naturae propter reliquias morbi ad obstructionem faciles succurrimus. Nudiusquartus prima vice Philippus vestes induit, animus verò ejus jamdudum Hagae est, quo proximo Lunae, juvante Deo, meum corpore sequetur, nisi interea temporis Nobilitas Tua, et valetudo filii diversum quid suaserint, optatumque iter in ulterius tempus rejecerint. Hospes noster Caspar Wustevelt, in ultimis suis Nobilitati Tuae memoriam sui his verbis renovari per me petiit: Also ick van een geloofweerdighe persoon tot Arnhem heb bericht, datter noch iemant gesocht wort om tot Dieren onder Mr. More zijnde generael jaggermeester, de leengoederen te administreren, so versoecke gantsch vriendelijck U.E. schrijvende an Mijn heere van Zuylichem, dat zijn Ed. will versoecken, om mijn persoon in gedachtenisse te mogen houden. &c. Idoneus est et dignus, uti mihi videtur, cui haec talis, et major aliquando provincia credatur. Et si Nobilitas Tua ipsi opem tulerit, nullus dubito, quin N. T. sit instrumentum et medium, quo summus ille orbis Dominus, Deus noster familiam ejus sex dotatam liberis, cum vulgo oneratam dicerem, ac ruinae vicinam, servabit, cui verò ille aeternas gratias debebit, et certè, si satis eum novi, habebit. Vale Vir Nob. et cum salutandis à filio charissimo salutatus, salve animitus

Pouderoyen 22. Octob. stili veteris
1647.

à Nobilitati Tuae
observantissimo, et
tuorum studiosissimo

Joh. Lampe.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29C
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4690b

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29C
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4690b

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29C
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4690b

Mijn Heere

Mijn Heere van Zuylichem
raedt ende secretaris van
sijn Hoogheyt
In den
Haag.

Port.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
29C
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4690b